V c
736

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-19532-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-19532-p0002-4

A. XIII, OK. XIII, 10. I, 1

V c 736

εὐκτικὰ καὶ παραινετικὰ νεογάμοις

Illuſtriſsimis

# IOHANNI GEORGIO
Duci Saxoniæ, &c.

&

# SIBYLLAE ELISABETHAE
Duciſsæ VVirttembergenſi

**In welchen der Chur: vnd Fürſiliche Stam des**
hochlöblichen Hauſes Sachſſen vom Jahr hero nach Chriſti vnſers ewigen Erlöſers vnd Seligmachers Geburt / 800. biß auffs jetzo inſtehende 1604. Jahr / (darinnen der Durchlauchtigſte Hochgeborne Fürſt vnd Herr / Herr Johan Georg / Hertzog zu Sachſſen / Landgraff in Düringen / Marggraff zu Meiſſen / Fürſt zu Henneberg / poſtulirter Adminiſtrator des Stiffts zu Merſeburg / rc. vnſer gnedigſter Herr / mit Frewlein Sibyll Eliſabethen / des auch Durchlauchtigſten Hochgebornen Fürſten vnnd Herrn / Herrn Friederichs / Hertzogen zu Wirtenberg vnd Theck / Graffen zu Mumpelgart / vnd Herrn zu Haydenheim / des Königlichen Ordens in Engeland Ritters vielgeliebten Tochter / ſein Fürſtlich Beylager gehalten) Vnd alſo in die 800. Jahr aus allerley Scribenten auffs eigentlichſte / ſo viel möglich / dargethan vnd beſchrieben.

D. D. D.

MARTINVS HASSIVS
Sonnevualdenſis Luſatus.

XVII. die M. Septemb. Annno M. DC. IIII.

Ex officina typographica Hieronymi Schützij.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-19532-p0003-9

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

# ECLOGA
# IN AMORVM SPONSI, SVB DAPH-
## nidis, erga SPONSAM, ſub Amatæ perſonâ, primitias.

VEris vbi adventum mollis cantârat hirundo,
Et zephyrus Boreã gelidum legârat ad axem
Tempora quæ tacitis ſunt prorſus amantibus apta:
Tunc etiam (dictis quin mox pia Numina Muſæ
Pierides veneratæ animis aſſurgite) DAPHNIS
Conceſſæ Veneris ſtimulis agitatur honeſtis,
Et ſtudio charæ ſobolis, generisq́; parandi
Tentat coniugio ſubmittere colla ſacrato.
Quidnî etenim tentet? Labuntur tempora vitæ,
Optima quæq; dies, ſimul improviſa ſenectus,
Et morbus rapit, & ſœvæ inclementia mortis:
Quocirca ſolido dum ſtant in corpore vires
Eſt proles reperanda citò, ſic namq́; futuris
Conſulitur benè temporibus. Hoc ordine Fati
Divini ſtudium viventia cuncta requirunt.
Nam Pater omnipotens, nutu qui cuncta gubernat,
Haud facilem curſum miſeris mortalibus ævi
Eſſe dedit, varijs luctantia pectora curis
Iactat, & ingenium faciunt incommoda cautum:
Adde, quod hoc ſtudium ſimul ac animalia iuſtam
AEtatis metam ſentiſcunt, cuncta repoſcant:
Nil adeò eſt immane, ferum nil ſaltibus errat,
Nil mare, nil terras habitat, nil ætheris oras,
Quod blando victum non commiteſcat amore,
Sic Natura dedit. Nam quò brevioribus vlla

Clauduntur vitæ ſpatijs, hòc protinus illa
Temporiùs reparant ſimilem ſibi corpore prolem.
Quocirca liquidas ſpatiatus ad Albidos undas,
Suſpirans bellam generoſo corpore AMATAM,
Hos ſecum tacitos animo iactabat amores.
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores.
En redeunt Zephyri, & varios reſoluta colores
Pingit humus, renovatq; comas, formoſaq; prata
Candidus Europæ vector viridantibus herbis
Veſtit, hiant flores, vernantia lilia ſurgunt,
Purpureoſq; aperire ſinus roſa plena decoris
Incipit, & latè ſuavem diffundit odorem.
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores,
En rident ſylvæ, & paulatim frondibus arbor
Luxuriat fæcunda novis, & germina pandit.
Nunc genus humanum, vaſtiq; animalia ponti.
Nunc pecudes, volucreſq; graves ſub pectore curas
Concipiunt, carpitq; animos atq; oſſa cupido,
Nunc fervet totus Veneris dulcedine mundus.
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores
Hei; deſiderio quám mellitiſsima magno
Raptor Amata tuo, dolor ah! quám pectora noſtra
Vrit Amor, molles eſtq; intùs flamma medullas.
Non ego conſueto mortalibus uror amore:
Sed malus ille Puer, quem nec ſua flectere mater
Iratum potuit, quém nec Pater, atq; Auus idem
Iuppiter, auratâ depromens tela pharetrâ
Transfixit noſtram tanto conamine mentem,
Vt nullo niſi Amata tuo medicamine vultu
Sanari poſsit, nullis dulciſsima & herbis.
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores

Nam

Nam neq; lux, neq; nox, rerum nec quicquid vbiq; eſt,
Extinguit vigiles noſtro ſub pectore curas.
Tu mihi mane novo carmen, dum roſcida tondet
Prata pecus, medio tu carmen ſolis in æſtu:
Et cum iam longas præceps nox porrigit vmbras,
Nec mihi quæ tenebris condit nox omnia, vultus
Eſt potis occultare tuos: Te nocte ſub atrâ
Alloquor, amplector, falſaq; in imagine ſomni
Gaudia ſollicitam palpant vana, invida mentem:
At cùm ſomnus abit curis exinde renatis
Solus ah in ſolo triſtis decumbo grabato.
Quin etiam ſolis ſurgens ah mœſtus in agris
Quá vagus error agit feror, & deſerta querelis
Antra meis, ſylvasq; & conſcia ſaxa fatigo.
Sola meos Echo, dolor ah! miſerata dolores
Adgemit, Hæc quoties ſuſpiria pectore duco,
Sic quoq; vicino toties ſuſpirat ab antro.
Dulcis AMATA veni, noſtros lenire dolores.
Nam mihi nec ſine te liquidi mea blandula fontes,
Nec nemora alta placent, nec prata virentia, nec qui
Florentes campos riguus perlabitur Albis.
Hûc ades ô formoſa, meæ ſpes vnica vitæ:
Iuniperi virides, & te Phœbëia quercus
Vmbroſæq; vocant fagi, Quin flumina gaudent
Adventu mea Sponſa tuo, intonſiq; reſultant
Lœtitiâ campi. Quám feliciſsima rura
Quamq; beata, tuis fuerint quæ ſubdita plantis!
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores
Ecce novis renovata coloribus atria quæq;
Gaudia, cumq; iocis ſecreta cubilia præſtant.
Hìc placidam mecum poteris captare quietem,


Et

Et mecum dulces animo meditarier hymnos,
Poſt, vbi defeſſos ſomnus deliquerit artus,
Si libet, excultos mecum te vertere in hortos
Atque tuis virides digitis decerpere flores,
Et legere acceptos factura papauera ſomnos,
Florentes ſimul ac caſias, ac mella daturos
Vngue ſecare thymos, immortalemq; amaranthum.
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores
Non etenim hîc rigidas ſpinis & vepribus oras
Invenies, homines duro nec corde rigentes,
Verum manſuetos humano pectore Myſos.
Nec tibi frugiferæ memorabo hîc iugera glebæ,
Aut æris gravidos aut plumbi pondere ſulcos,
Et nitidos auro montes, ferroq; rigentes,
Deq; metalliferis manantia flumina venis,
Quæq; beant alias communia commoda gentes,
Hæc extùs veniens mirabere munera & intùs.
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores
Non etenim Armeniam hîc Tygrim, Libycumq; leonem,
Nec diras quas ora gerit Cadmæa balenas,
Nec quos ſœva Gryphas rigidis parit India terris,
Invenies, rictu quæ bruta puſilla cruento
Dilanient: Magno ſed ME qui victus amore
Vror, & exortis conſumor pectora flammis
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores.
Nec dubita patrios adeò mea ſponſa penates
Linquere, nec metuas ſolis te credere campis,
Nam tutum præſtabit iter Comes inclytus heros
Tàm tibi, quàm mea vita tuis comitatibus OTHO
Solmſiacus, cum Brandſtenio ſtipatus Achate.
Fallor? an advenies noſtros viſura penates?

Non

Non fallor, celſo dant ſigna tonitrua cœlo,
Scilicet eventum quod ſint habitura petitum
Vota, repercuſsis effuſa ſub Albidos vndis
Dulcis AMATA veni noſtros lenire dolores.
Nam canis ante Lupas, & Taurus diliget urſas,
Et vulpem Lepores, & amabit Dama Leænas,
Et volucres ſylvis deêrunt, & murmura ventis:
Ante meum caput hoc gelidis DEVS occulat vmbris,
Meq́; vel è charis iubeat diſcedere terris,
Quam tuus è noſtro labatur pectore vultus.
Tu rudibus mea ſuccendiſti pectora flammis
Tu ceptos moriens delebis AMATA furores.
Dulcis AMATA venis noſtros miſerata dolores.

Scripta 1. Maij. 1604.

## IN NVPTIAS
## IOANNIS GEORGII, DVCIS SAXONVM, LANDGRAVII
Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Principis Hennebergenſis
&
## SYBILLÆ ELISABETHÆ,
Ducis VVirtembergici Filiæ:
DRESDÆ,
celebratas XVII Septemb.
M. DC. IIII.

Etſi

ETſi me varijs fortunæ caſibus atræ
Hactenus immeritum vexauit ſœua canum vis,
Resq́; meas auſis turbavit livor iniquis,
Livor iners vitium, ſtygio res grata Tyranno:
Non tamen abſiſto cœptam pertexere telam,
Nec moveor, rigidis adſit licet invidus orſis,
Qui (res ſueta) meas auſit reprendere Muſas
Pondere vel culicis levior: Tamen actus in auras
Aggredior, diro rumpantur vtilia Momo.
Tu primum fatis opus ut procedat amicis
Fac pie CHRISTE tuis, validas ad carmina vires
Suffice, tota tuis pendet mea Muſa ſacratis
Auſpicijs, flatusq́; tui ſuſpirat amores.
Tuq́; adeò noſtris, Dux inclyte IANE GEORGI
Et decus egregium, & ſpes optatiſsima rebus,
Oro fave, clemensq́; meo ſuccurre labori:
Te præſente LEPUS ſaltus feror inter opertos,
Te præſente vagus excurro tutus in auras,
Et trepido rapidos nil pectore curo moloſſos,
Accipe, quæ tenui tua cantatura paratu
Stemmata, quasq́; dabit tædas mea Muſa iugales.
Fallor? an accipies dextro mea carmina vultu?
Non fallor: Pietasq́;, ſitisq́; ad laudis amorem,
Illuſtrisq́; animus mihi quælibet optima ſpondent.
Sic tibi, SAXONIÆ procerum Dux inclyte, certet
Gloria perpetuum lucis manſura per ævum:
Sic tibi ſede piâ maneat locus, & tibi ſoſpes
Debita longævos memoretur vita per annos,
Vita bonis reufluens. Sed nos ad cœpta feramur.
Vix poſtquam bini revolutis menſibus anni
Fluxiſſent lœto per amica ſilentia tractu,

Quò

Quòd bene CHRISTIANVS claro ſeptemvir honore
Connubio Magnam DANORVM è ſanguine Divam
Iunxiſſet ſtabili ſibi, quòd propriamq́; dicaſſet:
En clarus lœtis procedens Lucifer oris
Nunc profert iſtam felici ſidere lucem,
Quæ ſimul ac terras exorta ſalutat avitas
Teq́; docet factum ſociato fœdere Sponſum
Ducturum pulcram generoſo corpore Nympham
Quæ VVirttbergiaco Duce gaudeat orta parente.
Rem verò gratam! rem multis ſœpe petitam
Nominibus donat Divûm Pater atq́; hominum Rex:
Nunc iterum ex animis Tu gaude turba ſuperbis
Subdita, & elatas iacta ſuper æthera voces!
Nunc iterum lœtus ferrat vaga ſidera clamor!
Fauſta Duci IANO ſit lux hæc feſta GEORGIO.
Ipſe ego, quantumvis humili caput effero ſylvâ
Parvus honore LEpus; patulas progreſſus in auras
Attamen & bona verba dabo: Gens ſera nepotum
Audiat, & meritos virtuti expendat honores
Egregias decorans animas pietate. Quis ô quis
Nunc rigidus doleat? Nemo, niſi conſcia pravi
Mens, & quæ furijs agitur conſtricta nefandis:
Inſuper & taceat quis gaudia publica verſu,
Gaudia Neſtoreos benè continuanda per annos,
Quæ iam SAXONICIS contingunt omine terris
Fauſto, dum Patriæ (benè quàm) ſpes altera terræ
IANVS ovans animis dat feſta GEORGIVS. ô quis
Turbida corda gerat? quis pectora plena dolore
Improbus inducat? captus niſi mente ſerenâ.
Ite procul triſtes curæ, procul ite dolores.
Ante tamen ſacri tua quàm fero fœdera lecti

Ardua progenies, Dux inclyte, fortia patrum
Facta canam, Proavosq́; tuos aliquo ordine dicam,
Vt relegendo legas decus immortale parentum,
Qualia tractârint forti multa horrida Marte
Bella, viri quales, quot parta labore trophæa,
Sive domi, ſeu bella fovis peragenda vocabant.
Nam quò non penetrat virtus, quæ ſola remotos
Tentat adire polos extingui neſcia flammis.
Tempus erat priſcis quondam lucrabile ſeclis,
1. Tota vbi Chriſtiadum toto gens aurea mundo
Fracta iaceret humi, Tunc primùm natus in auras
Editur illiquidas VITIKINDVS nomine PRIMVS:
Qui poſtquam ſolidos juvenis veniſſet ad annos,
Et veteres omni coluiſſet corde Molechos,
Sœpeq́; per ſanctam ſolitus iurare coronam,
Sideraq́; & cultos patriâ formidine lucos,
Manſuras, Divis quas ipſe ſacraverat, aras
CAROLVS hunc demum Magnus, decus vrbis & orbis
Hûc adigit ſacro firmatus Numine, multis
Vt tandem bellis toties exhauſtus, & armis
Fractus homo, vitâ donatus abiret, & vltrò
Ablueret priſcæ exoſus contagia culpæ
Effœtum patrio tingens in gurgite corpus.
Ipſe ſalutiferâ purgatum CAROLVS vndâ
Suſcipit, & gremio non dedignatur amico,
Vana iubens animis dediſcere Numina, cultusq́;
Hactenus aſſolitos venerari pellere ad orcum.
Paret, & in reliquos conſtans manet & pius annos,
Donec pertæſus vitæ mundiq́; caduci
Cæleſtes poſito luſtraret corpore turmas,
Atq́; ſui terris, poſt ſeſe nominis vnum
Linqueret hæredem, patriâ virtute regendis

*VITIRINDVS Primus: Brunonis frater, VVernekini filius, Diterici Nepos, Sighardi Saxonum Regis Pronepos, Dux Angariæ, ab omni Saxonum tàm illuſtrium, quàm popularium multidine Rex electus, ob libertatem ſimul ac religionem patriam, quam vtramq́; populi iſti volebant ſartam tectam, diu multumq́; cum CAROLO MAGNO, Gallorum Rege, Romanorum Imperatore, & quidem graviter ad triginta Annos, vel circiter dimicans, cæſis ac profligatis aliquoties ſuorum copijs, ſingulari tandem Dei bonitate ad Chriſtianam religionem converſus, ſuaſu Henrici Comitis Hennebergenſis, ab Epiſcopo Moguntinenſi, teſte ad Baptiſmum ac fideiuſſore CAROLO ipſo, lavacro regenerationis albui ſeſe patitur. Coniuges habuit duas, GEVAM Daniæ Reginam primis: SVATANAM Boemiæ Duciſſam ſecundis ſibi copulatam nuptijs. Moritur in conflictu cum Heroldo Sueonum Duce, circa Annum Chriſti* DCCC. VII.

Manibus hic placidè ſuccedens fortè paternis
Accepit veteres Myſos, terrasq́; domandas,
Quas vndis Plâſsina ſuis, quas flavus Eliſter,
Et Sala, & ſaxis fluitans ingentibus Albis,
Albis agris, Albis vino, melle inclytus Albis
Irrigat, & ripis fuſim conſtringit amœnis.
Hic diâ præſtans Heros virtute ſub arcto
Iuſticiâ rigidas gentes, & legibus æquis
Frenauit iuſtum vitæ melioris ad vſum.
Adde, quod & celſum famâ quæ pulſat olympum
Sit ſumtu fundata ſuo Viteberga, ſuoq;
Vtraq; cum caſtro de nomine dicta Vuitino.

II.

*VITIKINDVS Secundus, Vitikindi Primi Saxonum Regis ex Suatanâ Boëmiæ Duciſſâ filius. Burggravius Zôrvuicenſis, Dominus in Budſetz, Frenator Vandalorum ad Salam, Albim, Eliſtrum & Pläſſam reſidentium. Vitebergam condidit & Vuitinum, bina de nomine ſuo dicta oppida. Coniugem habuit Iuladam Diterici Comitis Rochlicenſis filiam. Moritur circa Annum Chriſtii* DCCC. XLIIII.

3\. Filius huîc, patrios tentans æquare labores,
Nititur adverſas OTHONIS adire catervas,
Ob malè patratas in fratris corpora cædes:
Sed, quia fata volunt, hoſti dat terga ſequenti,
Et belli nullo cœpti fruiturus honore
Inde ſecuturos inglorius exigit annos.
Magna tamen Divûm cultus abolere profanos
Cura ſibi, multiq; adiecit ponderis aurum
Illis, qui genus indocile ad meliora vocantes
Sacra propagarent, lumenq́; errantibus eſſent.

III.

*DITHGREMIVS, Vuitikindi ſecundi ex Iuladâ Comitiſſä Rochlicenſi ſuſceptus filius, Burggravius Zôrvuizenſis, Dominus iu Budſetz, vindicaturus fratrem ſuum Fridericum à Saxonib. caſum, bella cum OTTHONE MAGNO Saxonum Duce gerens atrociſſima, victus è Saxoniâ pellitur. Vxorem habuit Boſſennam Comitiſſam Pläſienſem. Moritur circa Annum Chriſti fermè* DCCC. LXXIX.

4\. Proximus at primis nemorum ſtudioſus ab annis
Venatu tolerare famem brumamq; ſolebat,
Cornigeros TETHMARVS agens in retia ceruos,
Exercens corpus iocularibus impiger armis,

Scilicet

Scilicet vt melius, ſi quandò bella vocarent,
Imbribus, Hercinioq; gelu duratus, & æſtu
Militiæ poſſet duros perferre labores.
Omen erat ſtudio: Teſtatur Vandala pœnis
Turba datis fœdata truces à ſanguine vultus.

## IIII.

*TETHMARVS Dithgremij ex Boſſennâ Comitiſſâ Pläſſienſi filius, Burggravius Zorvuicenſis, Comes Vuitinenſis, Dominus in Budſetz. Præterquàm quod venationibus ac Palæſtræ erat ſtudioſiſſimus, arduis inſuper in rebus cautus ſatis fuit atq; circumſpectus. Vngaris ſimul atq; Vandalis è Thuringiâ pulſis victor extitit clariſſimus. Vxorem habuit Villam Comitiſſam Northringenſem. Moritur Anno Chriſti* DCCCC. XXXIIII.

Suſcipit hinc Natus rerum THEODRICVS habenas 5.
Hîc vir, hic eſt vnus veſtram qui reſtituit rem
SAXONIAE proceres, veſtriq; decoris origo.

## V.

*THEODERICVS, Tethmari ex Vuillâ comitiſſa Northringenſi filius vnicus, Burggravius Zorvuicenſis, Comes Vuittinenſis, Domiuus in Budſetz. Ab hoc, referente in Iſagoge ſuâ hiſtorica Matthæo Dreſſero, originem habere dicuntur Marchiones Miſniæ, & hodiè rerum potientes Saxoniæ Electores. Vxorem habuit Iuttam Comitiſſam Merſeburgenſem. Moritur circa Annum Chriſti* DCCCC. LXXV.

Nec DEDO minus enſe bonus, minus vtilis haſta, 6.
Tàm pollens animo, validæ quàm robore dextræ,
Aeptus equo miles, nec ineptus Marte pedeſtri,
Quem decus imperij COESAR, poſt fortia belli
Prælîa, perpetuis cumulavit honoribus OTHO
TERTIVS, ornatum poſtremi ſede Bionis.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-19532-p0015-6

Vt verò conſtans nihil & durabile terris:
Sic etiam propero Dux hic cadit inclytus enſe,
Omnia cum ferro prius ad vaga flumina Salæ
Sterneret, vt caperent vix mortua corpora ripæ.

## VI.

*DEDO, Theoderici ex Iuttâ Comitiſſ. Merſeb. filius, Burggravius Zorvuicenſis, Comes Vuitinenſis, Dominus in Budſetz, ab Othone Tertio, Romanorum Imperatore; ob res præclarè geſtas, diverſis contra diverſas gentes prælijs, Bione Proavo ſuo materno ſine liberis defuncto, Marchionatu Merſeburgenſi donatus, ducit vxorem Tethburgam, Diterici Marchionis Brandeburgici filiam. Anno Chriſti* M. IX.

7. Nec minus ad claras belli conamine laudes
Nomen Avi referens, Tethburgæ filius almæ
Editus, ad patrias, per fortia prælia, ſedes
Cæde ſimul reliquas adiecit cominus arces,
Idq; modò DIVAE ſancto CVNEGVNDIS amore.

## VII.

*THEODERICVS, Dedonis ex Tethburgâ Marchioniſſâ Brandeburgenſi filius vnicus, Zorvuiecnſis & Vandalorum Burggravius, Comes Merſeburgenſis & Vuitinenſis, Dominus in Budſetz, præter ea, quæ Patre defuncto ſibi debita occupabat dominia, ab Imperatore Romanorum Henrico Tertio, intercedente potiſſimum pro ſeſe D. Cunigunda, Cæſaris coniuge, vnâ cum Comitatu Ileburgenſi & Seuſelizenſi, Marchionatum dono ſimul accipiebat Landesbergenſem. Vxor ipſi erat Mechtildis, Eckhardi Marchionis Miſsnenſis filia. Moritur in ſuo ipſius à Sicarijs occiſus cubiculo. Anno Chriſti Domini* M. XXXIIII.

8. Nec te magne THIMO taceam, tacitum ve relinquam,

MISNI-

MISNIACAE primus qui Marchio diceris oræ.
Tu vetus es noſtris Genus, & natalis origo
SAXONIAE Ducibus, tibi honos, tibi gloria ſumma,
Namq; tuo Domus hæc ſe ſanguine ſcindit ab vno.

# VIII.

*THIMO, Theodorici ex Mechtilde Marchioniſſâ Miſnenſi procreatus filius, Primus Marchio Landsbergenſis, Burggravius Zorvuicenſis, comes Merſeburgenſis Vuitinenſis & Ileburgenſis, Dominus in Budſetz, à Romanorum Imperatore Henrico Quinto Dux militaris conſtitutus, fortem ſe geſsit & invictum. Ob hæc præclarè geſta facinora, Marchionatu donatus* Miſnenſi, *Principium dignitatis huiuſce in ſucceſſores derivavit omnes. Vxorem habuit* Idam, *comitiſſam ex inclyta Ducum Moſerenſium ſtirpe progenitam Northeimenſem. Moritur ditionibus Miſniæ nondum occupatis, nedum pede in oppidum Miſenum delato circa Annum Chriſti* M. XCI.

Quocirca famæ claros imitatus honores,
Filius ipſe tuos, dictus CON- nomine- RADVS.
Quæ tua dextra tuis infecta reliquit in oris
Facta dedit, multisq; implevit honoribus orſa.
Hunc cum LOTHARIO ſævos ex vrbe Boemos
MISNIACA proſternentem ſtupuêre rapacem
Potantes Albim, tenuiſq; Myſeidos vndas.
Poſt aliquot bello rebus vix ſegniter actis
Languida veſtali conſtrictus membra cucullo
Emoritur tenues vaneſcens divus in auras.

# IX.

*CONRADVS Thimonis ex Idâ Moſerenſium Duciſſâ &*

*comitiſſa*

*Comitiſſa Northeimenſi filius, Marchio Landsbergenſis, Comes Vuittinenſis in Bren, Ileburg, Groitza, Dominus in Budſetz, Leisnick, Rochlitz & Seuſelitz, Primus Myſorum Marggravius, Dux potentiſsimus, Profligatis ope Lotharij Romanorum Imperatoris ex Miſniâ Boemis, Marchionatum Parenti ſuo ab Heinrico Quinto donatum, & ab Imperatore Lothario confirmatum occupat. Coniugio ſibi devicerat Ludegardim Sueonem Duciſſam. Tædæ tandem pertæſus ac thalamî Cucullum induit vitam cum morte commutans in cænobio ad montem D. Petri per ſe ipſum conſtituto. Circa Annum Chriſti* M. C. xxvj. *ætatis 70.*

10. Non minus in clarum famæ proceſsit honorem
Fundator CELLAE, DOBRILVCHAEq; autor opimæ
OTHO, potens multis auri argentiq; metallis,
E quibus excelſsam FRIBERGAE condidit vrbem,
Atq; ſimul claras conſtructo LIPSIDOS oras
Munijt egregias muro, foſsisq; profundis.

X.

*OTHO, Conradi ex Ludigarde Sueonum Duciſsâ filius, Marchio Miſnenſis, Dominus Luſatiæ & Oſtlandiæ, cognomine Dives, Lipſiam iure municipali donavit è Pago civitatem faciens. Fundator trium per Miſniam & Luſatiam cænobiorum, Zellæ ſs. Bucchæ & Dobrilucchæ. Non multò poſt etiam Conditor civitatis FRIBERGAE extitit ſumtibus ex venis metallicis conquiſitis. Vxorem habuit HEDVVIGEN Alberti Marchionis Brandeburgenſis Filiam: Moritur Heimersdorffij Anno Chriſti* M. C. XCI.

Filius huic, Atavi nomen THEODRICVS adeptus,
Conſtituit THOMAE ſacrum prænobile fanum,
Sunt vbi LIPSIACAE patre condita mœnia terræ.
Poſt vbi vix primo juvenis pubeſceret ævo,
Infœlix medici bibit atrum fraude venenum.

*THEODO-*

# XI.

*THEODERICVS, Otonis cognomento Divitis, ex Hedvvige Marchioniſſâ Brandeburgenſi filius, Marchio Miſnenſis per Luſatiam & Oſtlandiam, Dux pacificus. Autor cœnobij Thomiani, quod eſt Lipſiæ. Vxorem habuit Iuttam, Hermanni Thuringiæ Landgravij filiam. Veneno extinctus in ipſo ætatis flore moritur, Anno Chriſti* M. CC. XXII.

HENRICVS factis cœlo notiſsimus, omnes 82.
Egregiâ proavos poſt ſe virtute reliquit.
Huîc, ſi fama tuis veri quæ conſcia verbis
Credimus, vt ſuperas îjſſet LVDOVICVS ad auras,
Pro meritis COESAR FRIDERICVS tradidit acres
Tyrigetûm populos, titulisq; illuſtribus auxit.
Prima ſub hoc, laudanda ſatis vix, vnio Magni
Prodijt egregijs CATTI cum Saxone verbis,
Imperij Primo clavum moderante RVDOLPHO,
Alter vt alterutro vitâ ſine pignore functo
Poſt ſe rellictas hæres intraret habenas.
His ita divino nutu feliciter actis,
Strenuus infidos agit ad meliora Boruſsos
Senſa, priùs tetris animis idola colentes.
Adde, quod è multo, quâ ſtat Friberga, metallo
Ad tantus clarus pervenerat vndiq; vires,
Vt facili feciſſe ſuos ex aſſe Boemos,
Si res ſic animis ſibi viſa, potiſſet. At inde
Belliger egregium certamen equeſtribus armis
Edidit, effigiem ſtreperi ſub imagine belli,
Regia victori decernens præmia, victo
Nulla dabat. Virtus ſic excita honoribus amplis.
Poſtquam nunc placidus multos exegerat annos,

Prodigus humanæ tandem in certamine vitæ,
Dum petit adverſos vlmæ prope mœnia Gallos,
Occidit, humanos commutans morte labores.

# XII.

*HENRICVS, Theoderici ex Iutta Thuringiæ Landgraviâ filius, Marchio Miſnenſis per Luſatiam & Oſtlandiam, Comes Saxoniæ Palatinus, & primus Thuringiæ Landgravius, Electus Romanorum Imperator, cognomento liberalis, Dux animo magnus, in Palæſtra exercitatiſſimus. Ludis per iocum habitis vt unquam deiectus equo, ita nec bello victus abijt unquam. Autor, ſi Dreſſero credimus, contractus iſtius hæreditariò perpetui intra Saxonum & Heſſorum Principes, quo conſtituitur, vt defuncto ſine filiis alterutro, ſuccedant inter ſe invicem. Vxores habuit tres. Primam Agneten Boemiæ Reginam: Secundam Conſtantinam Auſtriæ Duciſſam: Tertiam Eliſabetham oriundam ex celebri Maltitiorum proſapiâ. Moritur globo traiectus, non procul ab Vlmâ. Anno Chriſti* M. CC. LXXXVIII. *Sepelitur Zellæ, in cœnobio à ſe conſtituto, quod eſt in inferiori Luſatiâ.*

Hunc ſequitur patrijs ALBERTVS degener auſis
13. Impar, at egregios linquit poſt funera natos,
Primus ab admorſâ Fridericus nomine malâ,
Alter ab egregijs Heros Mavortius armis
Solennes ferro cæſus Titzmannus ad aras.

# XIII.

*ALBERTVS, Henrici ex Conſtantinâ Auſtriæ Duciſſa filius, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, & comes Palatinus Saxoniæ, cognomento degener, eò ſic dictus, quod Parentibus*

*ventibus & Anteceſſoribus longè impar fuerit. Coniugem habuit Margaretham Friderici Secundi, Romanorum Imperatoris filiam, cum quâ pro dote acceperat Aldenburgum, cum ditione ad Pliſſam ſitâ. Quâ repudiatâ, & in exilium nullam ob cauſam repulſâ, cum Cunigundâ Eiſebergenſi concumbit, ex eaq; Baſthardum ſuſcipit. Hac etiam è vivis raptâ coniugem duxit alteram, Comitis Arnshugenſis viduam, cuius inſidijs à filio Friderico ad oppidum Vuartburgum captus, in cœnobio D. Petri fame perit, pœnas infidilitatis ſuæ luens digniſſimas, Erfordiæ Anno Chriſti* M. CCC. VI.

Quas autem FRIDERICE tuas ſub carmine laudes, 14.
Quosve tuos referam factis ingentibus auſus?
Nam veluti denſâ dubius ſubſiſtere ſylvâ
Lignator ſolet, inſpiciens hinc inde virentes
Ramos, ex æquo caſum minitante ſecuri:
Copîa ſic ingens laudum cum fratre tuarum
Suſpenſam retrahunt mentem, perq́; omnia verſant.
Paucis multa feram. Luctus Genitricis amatæ,
Filia quæ Magni clarebat Cœſaris vna,
Te cum fratre tuo iuſtas irritat ad iras.
Nam poſtquam illiciti ſtimulis agitatus amoris
Exilio veſtram Genitor proſcripſerat, omni
Laude pudicitiæ notam ſuper æthera, matrem,
(Horreſco referens,) ſprea ſanguine fluxit, & ingens
Albis, & Hercinijs q́uæcunq; è montibus orta
Tyrigetum pingues humectant flumina campos.
Quinq́; etenim hic hoſtes ſpolijs invaſit onuſtos,
Nocturnaq́; viros cautè partitus in vmbrâ
Caſtra per inſidias hoſtilia cœpit, & arte
Vincentes iterum domuit victricibus armis,
Ereptamq; ſimul prædam, captosq́; reduxit.

 FRIDE-

## XIIII.

*FRIDERICVS, Alberti degeneris ex Margarethâ Friderici ſecundi Romanorum Imperatoris filiâ, filius egregius, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ & Oſtlandiæ, Comes Saxoniæ Palatinus, cognomento admorſus, ab admorſâ ſ. per matrem in exilium proficiſcentem genâ, alias imperterritus, non immerito ſic dictus, ſiquidem quinq; hoſtes potentiſſimos, Parentem nempe ſuum infidelem Albertum, Ioannem Marchionem Brandeburgicum, Adolphum & Albertum Imperatores & Voldemarum Brandeburgicum compeſcuit ita, vt congredi cum ipſo amplius non auderent. Iis bello ſatis longo oppreſſis, vitam deniq; tranſegit tranquillam. Vxores habuit duas: Primam Agneten Carniæ Ducissam: Alteram Eliſabetham Comitiſſam Arensbugianam, matrimonio ſibi contra voluntatem Parentis ſui infidelis coniunctam. Moritur & ſepelitur Iſenaci Anno Christi* M. CCC. XXVI.

85. Non virtute minor Proavis, nec robore, & armis
Nominis eiuſdem, ſublato patre, relictas
Optatâ patrias placidus pace occupat oras
Ad tempus, donec commotus Marte rebelles
Vndiq; ſurgentes impleret cædibus vrbes.

## XV.

*FRIDERICVS, Friderici admorſi ex Eliſabethâ Arensbugianâ filius, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, cognomento gravis, alias ob macilentam corporis ſtaturam Macidus, Patri ſimillimus, electus contra Carolum Quartum Romanorum imperator, cui tamen ceſſit. Expugnatâ Orlamundâ & dimidiâ penè Saltzæ parte, coniungit copias ſuas cum Edvardi ſexti Regis in Angliâ exercitu contra Gallos. Ex ea victoria Eques factus auratus, Vxorem ducit Mechtildem, Ludovici Bavari Romanorum*

*norum Imperatoris filiam. Transfoſſus in ludis iocularibus moritur Pegaviæ, & ſepelitur in cœnobio veteris Zellæ. Anno Chriſti* M. CCC. XLIX.

Huius item multas latronum filius arces 16.
Hoſtibus haud tergo, forti ſorti ſed pectore notus
Diruit, ingentes portans ex clade triumphos.
Inſuper elatum Plavia de ſtirpe Ruthenum
Strenuus arreptis diſiecit fortiter armis.

## XVI.

*FRIDERICVS, Friderici Gravis ex Mechtilde Ludovici Bavari Rom. Imp. filiâ ſusceptus filius, Landnravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, cognomento ſtrenuus, Rutheno Plavienſi debellato multas latronum arces diruit: Albertoq; Duce Brunſuicenſi, Thuringiam plurimis in locis immaniter devaſtante, tandem oppreſſo, Romanorum Imperatori Carolo quarto vixit perquâm gratiſſimus. Vxorem habuit Catharinam Comitiſſam Hennebergenſem, cum quâ pro dote acceperat Coburgum. Moritur Anno Chriſti* M. CCC. LXXX.

Quartus in adverſos victricia ſigna Boemos 17.
Pro decore imperij, Romani Cæſaris vltor
Movit, & inſignem portans poſt ſæva triumphum
Bella, tulit clarum Magni Electoris honorem.
Adde, quod hoſpitium Muſis (ſed ſurgite flexis
Poplitibus prius Aonides) rata tecta Camœnis
Conſtituit PHILYREN terris magis omnibus vnam,
Quæ nunc culta viris præſtat tuta otia doctis,
Et puris ſcatebris Heliconia temperat arva.
Hîc ver doctrinæ, hîc vivo de ceſpite ſylvam
Ingentem tollunt artes, hîc flore iuventæ
Traducunt juvenes virtutum in odoribus ævum.
Hîc locus eſt, nullus quo ficto pectore vulpes

Dat ſeſe in Sophiæ campos, hîc debilis armis
Luget perfidia, hîc fratres complexa ſerenos
Aſſurgit pietas, hîc per pia tecta Minervæ
Incedit Themis, hîc gladios clementia triſtes
Obtundit, florent hîc dulcia germina pacis,
Hîc ſe cana fides ingenti protegit vmbrâ.

## XVII.

*FRIDERICVS, Friderici ſtrenui ex Catharina Hennebergenſi filius, Primus Saxoniæ ingente ſua Dux & Elector. Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, cognomento Bellicoſus & Victorioſus, benè de Sigismundo Romanorum Imperatore, in bello contra Boemos meritus. Præmium inde reportabat dignitatem Electoris Saxonici, Budæ in Vngaria, Anno 1424. Primus Academiæ Lipſienſis fundator. Vxorem ducit Catharinam Duciſſam Brunſuizenſem & Luuæburgenſem. Moritur multis ad filios de pietate & fraterna ad invicem charitate exercenda admonitionibus. IIII. die M. Ianuarij Anno Chriſti Ieſu* M. CCCC. XXVIII.

18. Filius huîc natu minimus ſuccedit, ei quod
Senſus erat placidus, Placidi cognomen habebat.
Hic quamvis lenis, calido cum fratre Guilelmo
Acriter arreptis animo tamen egerat armis,
Sed citò proiectis miteſcit providus armis.
Poſt (dolor ah) fatis ſubitò exercetur iniquis,
(Hei cadat in quenquam tantum ſcelus); hei pater ambos
Amittit natos irati fraude miniſtri,
Quos tamen aſsiduis reddunt pia numina votis.

## XVIII.

*FRIDERICVS, Friderici Bellicoſi ex Catharina Brunſuizenſi Duciſſa filius, Dux Saxoniæ, ſacri Romani imperij Archimarſchallus & Elector, Landgravius Thuringiæ, Mar-*

*chio*

*chio Miſniæ, cognomento placidus, Naſcitur Miſenæ 1411. ſupplicio á Vizedomis ſumto, Boemis & Quadis è Saxoniâ pulſis multas hoſtium ſuorum arces diruit. Exortâ inter ſe & fratrem ſuum ob Thuringiam controverſiâ placidè cum ipſo convenit, Vxorem habuit Margaretham Archi Duciſſam Auſtriæ. Moritur Miſenæ & ſepelitur Anno Chriſti* M. CCCC. LXIIII. *ætatis 53.*

Maxima Romani pars, imperijq́; columna 19.
Dux ALBERTVS avis, proavis, abavisq́; ſuperbus,
Signifer, emeritusq́; vocari Dextera Regni,
Belgia quâ iacet, & riguis Hungaria glebis,
Inclytus exultat campo bellator aperto.
Sicut vbi Torrens nymbis hyemalibus auctus
Spumeus, & fervens, inſano vortice ſylvas
Proruit, & meſſes latè populatur & agros.
Pòſt, vbi iam patriam armorum formidine totam
Solverat, atq; datis vti cœpiſſet habenis
Pacificus, viſit Solymos, & nobile buſtum.

# XIX.

*ALBERTVS, Friderici placidi ex Margarethâ Archi-Duciſſâ Auſtriæ Filius, Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ, Gubernator Friſiæ, cognomento animoſus. Naſcitur Anno 1443. Natus annos tredecim, per Cunradum á Kauffung cum Erneſto fratre, ex arce Aldenburgiacâ plagio ſurripitur. Reſtitutus pro divina voluntate, & ad iuſtam ætatis metam proveniens, Imperij ſignifer exercitum ducit pro Friderico Tertio, Imperatore, contra Matthiam Vngariæ Regem, prope Noveſium contra Carolum Burgundiæ Ducem. Hiſce peractis Hieroſolymam petit. Reverſus Imperatori* Maximiliano *primo contra Bruxenſes opem fert, expugnat Grunebergam, Noribergæ in comitijs aureo donatus vellere, præmium inſuper pro labo-*

*pro laboribus bello exhauſtis Friſiam accepit. Ab Imperatore Dextera Imperij: Ab Vngaris Magnus Saxoniæ Dux: A Belgis ob eximiam corporis magnitudinem Rolandus Germanus dici ſolitus. Vxorem habuit Sidoniam Boemiæ Reginam. Correptus prope Grôningam in Friſia ardenti febri moritur Embdæ, ſepelitur Miſnæ Anno Chriſti* M. D. *ætatis* 56.

Hoc vivis rapto duræ poſt tædia vitæ,
Filius HENRICVS, patrij moderaminis hæres,
Ardua progenies cœlo delabitur alto.
Hoc nato, quæ continuos latitare per annos
Iusq́; piumq́; ad ſe rurſum venêre, & apud nos
Fixerunt propriam ſibi poſt mala plurima ſedem.
Neſcis? doctrinam quantis promoverit auſis
Cœlitùs allatam? clavum moderante Luthero,
Tunc, vbi legatos fratris, fratremq́; vel ipſum
Spirantem diras, perplexaq́; dicta ſonantem
Reppulit, & forti ceu murus conſtitit ore,
Namq; vbi divini divinum dogma Lutheri
Per multos longè lateq́; increverat annos,
Egregiam fortis malebat fundere vitam,
Æternaq́; Dei mortem pro laude paciſci,
Quam ſacris latum verbis ceſſiſſet ad vnguem.

# XX.

*HENRICVS, Alberti animoſi ex Sidoniâ Boemiæ Reginâ filius, Dux Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Miſniæ Gubernator Friſiæ, cognomine Pius. Naſcitur* 1473. *Fribergæ in Miſniâ reſidet; ex eaq́; profectiones in Galatiam & Palæſtinam religionis ergo ſuſcipit. Reverſus reformatam Lutheri contra Papicolas doctrinam acriter defendit atq; propagat. Friſiam iuſſu patris ingreſſus ſui contentus ſorte beatè vixit. Non multo poſt capitur,*

*capitur, Redemtus à Patre Miſniam repetit. Parente ſimul ac fratre cum liberis extincto, ad paternæ hereditatis poſſeſsionem venit. Vxorem habuit Catharinam Duciſſam Megalopolenſem. Moritur ac ſepelitur Friberga Anno Chriſti.* M. D XLI.

Henricus poſtquam ſuperas acceſſerat auras,
AVGVSTVS ſolio potitur, potiturq; paternis
Tractibus, & Divûm pietate meretur honores.
Hic vir, hic eſt qui Mauritio cum fratre fideli,
Poſtquam Electoris fuerat dignatus honore,
Rem noſtram belli lapſam turbante tumultu,
Diſtrictamq́; animis ſtudia in diverſa, reduxit
Rurſus in antiquam virtutem, & fœdera pacis
Legibus, & duris firmavit protinus armis.
Hic vir, hic eſt, qui Mauritio per bella peremto,
Bella, adeò patriâ pro libertate peracta,
Dogmata Zingliaco verbi temerata veneno
Vnus reſtituit, ſolidaq́; in ſede locavit.
Hic vir, hic eſt tacitis adeò qui Biblia technis
Cudentes, arisq́; iterum nova ſacra, novumq́;
Ius intentantes, ſubito dare terga ſubegit,
Et ſolus ferro crimen commune refellit.
His Ducibus pietasq́;, fidesq́;, & carior auro
Dulcia libertas fandi præcepta ſalutis
Reſpexit miſeros, quæ paſſa pericula multos
Plurima Calvini viru iacuêre per annos.
Hos pariter magnis ſucceſsibus alta gerentes
Externi tremuêre hoſtes, metuêre ſodales
Armaq́;, virtutemq; domi, movet alma duorum
Fama virûm, virtusq; vagas dimenſa per oras.
Ergo nos ſeros grati referamus ad annos
Factaq́; virtutemq́; Ducum, quos lumine caſſos

Miſnia turpatisq; genis, ſciſſoq; capillo
Hactenus emeritos deflevit ad Albidos vndas.
Ah quoties, quoties ſuſpirat Pannonis ora
Mauritij vanis repetens ſtata fata querelis
Defenſore carens, defenſoremq; requirens
Mœſta ſuum! quoties Ducibus Germania tantis
Non ſat digna, ſed & veteres exoſa nitores
Non famæ memor antiquæ, non laudis avitæ
Oderunt vivos! quærant nunc luce peremtos.

## XXI.

